



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Similia praecepit Paulus 5 - prohibens novas condiciones pacis iniri ipso
inscio. n. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1635.

XVIII. Cui demum Blondus ista repoluit.

Admodum Reuerende Domine. Redditæ mihi sunt literæ D. V. datæ 28. Nouembris, cum exemplari Concordiæ inter Sacerdotes seculares & Regulares initæ, & subscriptæ, necnon aliquorum Capitum scripto firmatorum (vt loquitur D. V.) sed ore tenus approbatorum, quæ ideo te mittere dicit quò diligenter considerem, & agam cum Præsbyteris secularibus vt alij Regulares fecerunt, ortasque difficultates discutiam, & hoc vt tandem, Deo fauente, omnium Sacerdotum in Anglia sit cor vnum, & anima vna, sublata omni offensione, eiusque recordatione. Vt morem itaque gererem D. V. diligenter omnia consideravi, dedi que & dabo operam, vt quantum in me erit, optata pax consequatur, quò sublata omni offensione simus omnes cor vnum & anima vna.

Similia præcepit Paulus 5. prohibens nouas conditiones pacis iniri in se inficio.

Ad hoc autem nulla mihi expeditior videtur via, quàm vt seruemus omnes Breue Sanctissimi D. N. D. *Vrbani*. PP. 8. quod incipit, *Britannia*, datum die nono mensis Maij Anno Domini 1631. quo sua Sanctitas omnes & singulas controuersias, atque alias quascunque inter Chalcedonensem Episcopum & Regulares Sacerdotes Missionarios, & Catholicos Laicos Angliæ, quocunque titulo aut prætextu exortas, motas aut agitatas, perinde ac si nominatim singulæ fuissent expressæ, sedari, supprimi, & extinguere voluit, sicut & per illas ipsas literas sedauit, suppressit, & extinxit; & Vniuersis sub pena Excommunicationis latæ sententiæ præcipit nè vltius præterquam apud sedem Apostolicam eadem quacunque ratione nutrentur aut fouerentur. Quibus nihil salubrius, nihil ad pacem aprius excogitari potuit. Longè itaque meo iudicio latius erit vt omnes præcepto tam graui humiliter obtemperemus, quam vt inter nos conuenientes, quæ hinc tribus Capitibus continentur, discutiamus. Nam vt omittam contentionis flammam ex huiusmodi disceptationibus facilius excitari quàm sopiri, non video qua ratione possimus Nos priuatim his de rebus statuere, cum sua Sanctitas eodem suo Breui definitionem tam horum quam aliorum omnium ad dictas Controuersias quoquo modo spectantium ad suam cognitionem & iudicium pertinere decreuerit, vt acceptis vtriusque informationibus, & momentis rationum vtriusque partis æqua lance perpensis, pro paterna sua & pastorali sollicitudine, ex singulari in Catholicos Anglos propensione, id demum statuatur quod tum ad bonum Religionis Catholicæ, tum ad pacem firmandam augendamque melius, opportunius, & efficacius iudicauerit. Quod sane iudicium decretumque dum feretur, æquanimitè expectare, eiusque parere omnes decet. Ex his igitur videt spero D. V. opus non esse, vt ego cum Præsbyteris secularibus his de rebus coram agam, vt omittam dicere, eos id ipsum cupere non videri,

De capitibus porro ipsis, paucis dico, Nos nihil contra hætenus fecisse aut deinceps facturos. Episcopali enim auctoritati stabilitendæ nemo nostrorum vnquã se opposuit, sed vel rogati à quibus oportuit, sententiam diximus

diximus; vel necessitate quadam coacti quæ opus esse videbantur ad fidem
 sedilque Apostolicæ dignitatem sartam conseruandam scripsimus, quæ ne-
 mo iure vitio nobis vertat. Nec moræ fuimus olim Episcopo Chalcedonensi,
 aut posthac erimus cuiquam quo minus quidquid potestatis à sede Apostoli-
 ca acceperit liberè exercent.

Quod promittunt seculares in secundo capite se permissuros vt Regula-
 res suis vicissim facultatibus fruantur, id sanè rectè fecerint, atque ex men-
 te & mandato sedis Apostolicæ in Breui iam dicto.

Quod tandem tertio Capite dicunt, tractandum esse de magis speciali-
 bus conditionibus vnionis, quàm primùm Clerus secularis Superiorem im-
 mediatum habuerit; hoc sanè superuacaneum in præsens videri possit, cum
 sit omnino verosimile sedem Apostolicam, si quid magis speciale opus fue-
 rit quàm iam statutum est in Breui sæpius dicto, id pressius posituram, &
 rationem initurã quã quisque sciat quid ad suum munus spectet, idq; seruet;
 ex quo vno pax firma consequetur: Neque his amplius opus hoc tempore
 credo erit. Sicque me suis sanctis precibus commendo. Datum Londini 4.
 Decembris 1635.

Admodum Reuerendæ Dominationis Vestræ.

Seruus in Christo.

Richardus. Blondus.

HÆ vltro citroque data sunt literæ: Atque vt nulla nota patensue cau-
 sa fuit huius nouæ conuentionis, ita in auras simul atque nata est
 abiit, neque cuiquam aut utilitatis quidpiam attulit aut detrimenti; Et ego
 nulla eam dignam memoria existimasse, nisi ea quæ *Blondum* ad publi-
 cam Innocentiæ nostræ attestacionem impulerunt, eadem momenti pluri-
 mum haberent ad famam Societatis integram in futuro tempore conseruan-
 dam. Nunquam enim deerunt qui eius infirmandæ pruriginè, infirmissima
 etiam quæque apud præteritarum rerum ignaros vndecunque conquisita
 exaggerent.

XIX. Et si vero ad annum trigessimũ quintum ista pertineant, præ-
 teriri tamen non debent initia trigessimi quarti felici exitu illustrata *Andreæ*
VWilsoni, in Societate Iesu Scholastici (vt vocamus) approbati. Hic anno
 seculi vigesimo sexto, ætatis decimo sexto admissus, post humaniora Audo-
 mari, Philosophica Leodij decursa, febri lenta confectus, & ad ineundum
 æternitatis iter sacro pane secundò per modum viatici recreatus, inno-
 centem Conditore animam quietè tranquilleque reddidit, quinto Ianua-
 rij: Erant in illo dum viueret, Sanctitatis quædam diuinique fauoris
 indicia non medioctia, in morte tamen illustre quiddam atque eximi-
 um enituit; totoque ægitudinis tempore ad extremum vlque spiritum

0002

patien-